



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 50. Sectariorum tolerantia in Hungariæ Regno extorta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Octobris facta diserte dicitur: *exclusa* Sæc. XVIII.  
*tamen sequentia*, tum quia in hac uni- A. C. 1721.  
 versali Officii hujus extensione Missa  
 Romæ impressa non habet præfatam  
*sequentiam*.

§. L.

*Sectariorum tolerantia in Hungariæ  
 Regno extorta.*

Ab eo temporis articulo, quo Calvinii *Hist. Univ.*  
 ac Lutheri secta Hungariæ Regnum *tom. 8.*  
 infecerat, omnia bellis, seditionibus, cæ- *Period. II.*  
 dibusque erant turbata; quamvis enim *cap. 1.*  
 Catholici Proceres jam anno Christi *pag. 561.*  
 millesimo sexcentesimo sexto Regnante *Hist. Chron.*  
 Rudolpho II. Imperatore ac Hungariæ *contr. l. 17.*  
 Rege palam & solemni pacto declara- *pag. 793.*  
 rint, atque ex publicis Regni legibus  
 comprobatum reddiderint, nullum om-  
 nino Sectarium esse tolerandum, nihil-  
 ominus Anno 1616. Calvinistæ & Lu-  
 therani in Viennensi conventu sectæ li-  
 bertatem (sine tamen Catholicorum præ-  
 judicio) armorum vi extorserunt, his ta-  
 men minime contenti, ut suas sectas latius  
 extenderent, partim Ragotfiis, Tecke-  
 liis, aliisque rebellibus sua junxerunt  
 arma, partim Turcis in rebellionis sub-  
 sidium evocatis omnia susdeque verte-  
 runt, & quidem Anno 1662. contra  
 Turcas suppetias ferre, pertinaciter  
 detrecta-

P 5

detrecta-

Sæc. XVIII. detrectarunt, nisi prius existimata eorum Religionis gravamina tollerentur. hac ergo repulsa se Imperatorem, Catholicosque Regni Ordines ad firmandum sectæ exercitium adigere tentabant. Studiose insuper in rem suam omnes illas vertebant temporis vicissitudines, quibus Augustissima Domus Austriaca gravi pressa necessitate Hungarorum ope indiguerat, vel Imperatores pro Domus suæ incremento quædam ab Hungaris petebant: Sic Anno post incarnationem Dominicam millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo, cum Leopoldus Cæsar per Hungariæ Palatinum in comitiis Augustissimam Imperatricem in Hungariæ Reginam inaugurari peteret, Sectarii comparere renuerent, nisi prius Tempia, quæ Catholici sibi erepta jure postliminii vindicabant, eis redderentur: Eodem sub obtentu quinto post anno in apertam cruentamque rebellionem contra legitimum suum Regem prorupere, eamque Turcarum armis propagarunt, usque ad Annum 1681. quo præfractæ Ecclesias, scholas &c. sibi restitui postulabant, & quamvis Turcarum armis eas Catholicis eripuissent, & ad moderatiora consilia necnon ad deponendum eorum odium & vexationes Catholicis continuo irrogatas ab ipso Batavo Oratore Bruynigo

ningo admoniti fuissent, nec tamen pa- Sæc. XVIII.  
 cem inire, nec Romanam Imperatri- A. C. 1721.  
 cem coronari voluerunt, nisi prius im-  
 modicis, atque iniquis eorum postulatis  
 fatisfieret: interim vero effertiores  
 effecti totam Hungariam cædibus, ra-  
 pinis & incendiis sæde depopulabantur,  
 & non modo Ecclesias restitui, sed &  
 omnes Jesuitas Regno expelli postula-  
 bant: & quamvis Josephus I. Hungariæ  
 Rex honestis admodum conditionibus  
 Anno 1706. armorum cessationem eis  
 obtulisset, nihilominus impellentibus Le-  
 gatis Stapneyo Anglo, & Comite de  
 Rechtern Batavo inter alias pacis con-  
 ditiones Posonii postulare præsumebant.  
 I. Ut de jure receptarum Religionum  
 „Negotium pro bono pacis & unione  
 „amicorum non obstante contradictione  
 „Cleri, accommodetur, secundum Au-  
 „gustanæ & Helveticæ confessioni ad-  
 „dictorum propositionem, quæ sequitur  
 „in hæc verba: liberum receptarum  
 „in Regno Religionum exercitium in  
 „statu, qui per Szecsenii inchoatam ami-  
 „cabilem transactionem conclusus est  
 „cum templorum beneficiorumque pos-  
 „sessione, per omnia sartum, tectum-  
 „que maneat, inchoataque non tan-  
 „tum in partibus transdanubianis quam-  
 „primum sed & locis necdum confœde-  
 „ratis, suo tempore eadem formalitate

„COM-

Sæc. XVIII., continetur, nec ulla amplius templo-  
A. C. 1721. rum, & scholarum, eorumque bene-  
 „ficio- rum subsequatur occupatio, aut  
 „conscientiarum quoquo sub prætextu  
 „quæsitæ violentatio, quinimo de his  
 „omnibus tam garantium potentio-  
 „rum sponsione, quam & Articulo fu-  
 „turo Regni diætæ sufficienter caveatur.

II. „Jesuitæ, ex quo pro consequen-  
 „da intra limites Regni eorundem per-  
 „manione & accommodatione saluta-  
 „ribus statuum & ordinum Regni con-  
 „stitutionibus ad hoc usque tempus se  
 „accommodare omisissent, & ideo ex  
 „Regno exire debuerunt, sine consensu  
 „Regni nullo unquam tempore redu-  
 „cantur: Bona vero intra Regnum per  
 „eos possessa ipsis collata, in quantum  
 „Ecclesiastica aut fundationalia essent,  
 „Administrationi Cleri ipso facto sub-  
 „jiciantur, in quantum vero a familiis  
 „avulsa comperirentur, ad ipsas fami-  
 „lias redeant.,

Ad has tamen postulationes, qua-  
 rum barbaries cum latinitate ipsa pro-  
 fusus barbara conspirat, Imperator per  
 suos Deputatos die decima quinta  
 „Junii respondit, I, quod Juri, libertati  
 „atque securitati receptarum in Regno  
 „Religionum satis cautum, & prospere  
 „ctum videatur per Articulos diætæ  
 „& notanter novissimos, ut quos reli-  
 „giose

„giose servandos & exequendos sua Sæc. XVIII.  
 „S. Cæsarea Regiaque Majestas firmi- A. C. 1721.  
 „ter appromittit, quæ & clausulam :  
 „salvo jure Dominorum terrestrium, ge-  
 „nuino & justo sensu per diætam expli-  
 „cari faciet, nec in abusum trahi pa-  
 „tiatur. Qualis vero circa receptas  
 „easdem Religiones fors noviter for-  
 „mandus, inducendus ac respective am-  
 „pliandus per Szecseny inchoatam ami-  
 „cabilem transactionem status inten-  
 „datur, commissioni Cæsareo - Regiæ  
 „simul insinuatam non fuerit, ideoque,  
 „& de ignotis nihil eatenus respondere  
 „possit, minus dignosci, an legibus  
 „consona, ac perinde justa, aut nova  
 „quærantur, quæ etiam nonnisi per  
 „Generalem Regni diætam resolvi  
 „quirent. „

II. „In negotio Patrum Soc. Jesu  
 „posteaquam religio eorundem sub no-  
 „vissima diæta Posoniensi Anni 1687.  
 „Artic. 20. in Regnum recepta fuerit,  
 „& quod diætaliter conclusum est, non-  
 „nisi diætaliter tolli aut modificari pos-  
 „sit, ideo hoc in passu ad generalem  
 „Regni diætam præsens punctum re-  
 „mittendum, ibique simul legali Regis  
 „& Regni decisioni subjiciendum erit.  
 „quod circa bonorum Ecclesiasticorum  
 „seu beneficiorum ab ipsis vigore legum  
 „& Constitutionum Regni, Articulo-  
 „rum

Sæc. XVIII., rum utpote Anni 1486. Art. 11. An-  
A. C. 1721. „ni 1504. Art. 27. Decreti item Fer-  
 „dinandi primi Regis de Anno 1460.  
 „sæcularium vero bonorum ex eo quod  
 „contra leges patrias signanter An. 1498.  
 „Art. 55. An. 1647. Art. 17. ibidemque  
 „citos, & alios passim cum præjudi-  
 „cio S. Coronæ Regni, Cleri quoque  
 „sæcularis, & familiarum per ipsos  
 „comparata, eoque in mortuas, ut dici  
 „solet, manus illapsa habeantur, præ-  
 „tendibilem avulsionem, uti & perso-  
 „nalem emigrationem adducitur.,

Tandem vero die vigesima nona  
 Aprilis quarto post anno eis indultum,  
 ut Religionis exercitium juxta patriæ  
 leges & statuta decernatur. Nondum  
 satiata erat fanatica eorum audacia,  
 sed insuper Carolum VI. Imperatorem  
 ac Hungariæ Regem ad sectæ liberta-  
 tem publica lege firmandam adegerunt.  
 Opportuna id exequendi occasio eis  
 hoc anno offerebatur: Jam enim anno  
 Christi millesimo sexcentesimo octoge-  
 simo tertio Leopoldus Imperator Po-  
 sonii in comitiis a Regni Proceribus  
 expetierat, ut Hungariæ Regnum  
 ad Austriæ Archiduces hæreditario jure  
 in perpetuum transfiret: Consenserant  
 etiam Regni Ordines, ut non modo  
 Josephus in hæreditarium Hungariæ  
 Regem coronaretur, sed etiam ut de-  
 ficiente

ficiente *mascula* Auftriacæ Domus prole, Sæc. XVIII.  
jus hæreditarium in hoc Regnum ad A.C. 1721.  
Hispano - Auftriacam lineam *masculam*  
devolveretur: Ut vero idem jus Cæ-  
fare absque prole mascula morituro e-  
tiam ad ejusdem fæmineas Descenden-  
tes transfiret, Protestantes Regni Ordines nullatenus consentire voluerunt, donec existimata eorum Religionis gravamina penitus tollerentur, eis que sectæ libertas per fundamentalem Regni legem assereretur: Eorum pertinaciam frangere nitebatur Hungariæ Palatinus Comes de Palfi, qui indictis Posonii comitiis rem potenter frustra tamen urgebat: Cum autem hanc successionem stabiliri plurium Auftriacæ Domus interesset, & Protestantium Regni Ordinum consensus omnino necessarius foret, horum consensum caro Religionis pretio emendendi necessitatem obversari, creditum est. Die ergo tertia Martii Pesthini solemnia habentur comitia, nominantur viginti quatuor Catholici, & totidem Protestantes Deputati, qui Religionis querelas discuterent, ac si fieri posset, componerent. Proferuntur utriusque partis jura, pacta, & libertates; præprimis vero Catholici Protestantibus exprobrant, quod nimia temeritate sibi Ecclesias restitui peterent, quas tamen ipsi contra omne fas iniquis Turcarum &



Sæc. XVIII. & Rebellionem armis violenter eripuit.  
 A. C. 1721. sent, ac per plures annos non sine ma-  
 xima Catholicorum oppressione & dam-  
 no detinuisse: nunc vero contra an-  
 tiqua pacta sectæ libertatem extorquere  
 molirentur, cum tamen ipsis haud in-  
 cognitum esset, quod Catholici Pro-  
 cures jamjam anno Christi millesimo  
 sexcentesimo sexto declaratione Ru-  
 dolpho II. Imperatori tradita demon-  
 strarent, in Hungariæ Regno nullum  
 hæreticum publica lege tolerari posse.  
 Hanc ipsam declarationem Ecclesiastici  
 Proceres innovassent, atque anni se-  
 quentis die vigesima prima Martii suo  
 chirographo munissent. Præcipue in-  
 ter eos Agriensis Episcopus edito libello  
 demonstratum ibat, Protestantes in  
 Hungaria velut patriæ pestem aut ad-  
 fidem Catholicam adigendos aut om-  
 nino e Regno eliminandos esse, imo  
 eos a nullo Rege aut Principe, etsi in-  
 spopondisset, ob perversionis periculum  
 & rebellandi consuetudinem ex ipso  
 sectæ genio invalescentem tolerari posse.  
 Hac Præsulum constantia minime ter-  
 riti Protestantes cuncta, quæ a Catho-  
 licis vindicata erant, repetere haud ces-  
 sabant, de prospero suarum postulatio-  
 nem exitu eo firmiter sperantes, quo  
 ardentius prætenso successionis jura  
 communi omnium Ordinum consensu  
 stabili-

stabiliri, firmum & fixum esse noverant. *Sæc. XVIII.*  
 Nec sua eos spes fefellit; cum enim *A. C. 1721.*  
 probe perspectum haberent, quod Imperator ægerrime ferret, si mentes pertinaciter invitæ acerbioribus verbis ac scriptis magis adhuc exasperarentur, ac propterea ipsos Catholicos Proceres, ut Cæsareis mandatis Brabantix, Flandriæ & Silesiæ ante sexennium editis exactius insisterent, hortatus esset, hinc animosiores facti, quosdam Vienne ablegarunt, qui de Catholicis questi, Carolo Cæsari exponerent, quod Catholici Protestantibus non nisi duo Templi in quovis Comitatu reliquissent, eisque plusquam trecentas Ecclesias eripuissent. Nec defuit querelis suis fructus, nec suis successibus instrumenta protectionis; Aulicorum enim impulsu Catholicis Proceribus insinuatam, ingentem esse Protestantium numerum eosque fidelitatis suæ specimina hucusque non obscura edidisse; proin Cæsaream Majestatem suam velle, ut libero Religionis exercitio potirentur, eisque quietæ Ecclesiarum, quas nunc haberent, possessio relinqueretur: Insuper Cardinalis Saxo - Citiensis Hungariæ Primas, & Comites Stahrenbergius, ac Kinskyus Cæsarei Administratores Imperatoris nomine declararunt, omnia ab anno hujus sæculi decimo nono in  
*Hist. Eccles. Tom. LXXI. Q Re-*

Sæc. XVIII. Religionis negotio recens immutata ad  
A. C. 1721. pristinum statum esse revocanda, nec  
 ullum ad ritus suæ sectæ adversos vi  
 compellendum: Verum Catholici Or  
 dines unanimi suffragio, ne hoc decre  
 tum vim legis obtineret, obsliterunt,  
 palamque adversus hanc declarationem  
 reclamarunt. Nihilominus anni se  
 quentis Mense Martio Posonii præsen  
 tibus Imperatore, ejusque Conjuge Car  
 dinalis Czackys & Archiepiscopus Co  
 locensis comitorum Præses nomine om  
 nium Procerum declarabat, Hungariæ  
 regnum, quod aliunde hæreditarium  
 ad masculam Austriacæ Domus prolem  
 extensum erat, cum omnibus annexis  
 perpetuo jure ad sæminam lineam,  
 salvo jure primogenituræ devolutum  
 agnosci, eoquod Austriaci Archiduces  
 ac præsertim Augustissimus Imperator  
 Carolus VI. de hoc Regno optime me  
 ritus Apostolicum hoc Regnum non modo  
 a barbaro Turcarum jugo liberassent,  
 sed etiam latius extensis ejus finibus  
 illud ampliassent: ut ergo perniciosum  
 præverteretur interregnum, Proceres  
 suam significaturi gratitudinem, & Hun  
 garis antiqua sua jura, privilegia, li  
 bertates & prærogativas confirmari,  
 novisque favorum significationibus au  
 geri sperantes, Regni successionem ad  
 sæmineam hujus Domus stirpem ex  
 tendere

tendere consenserint. Eapropter sexa- Sæc. XVIII.  
 ginta Hungari partim Episcopi, partim A. C. 1721.  
 Comites & Barones Viennam ad Im-  
 peratorem contenderunt, unanimem  
 Regni consensum confirmaturi, simul-  
 que petitori, ut Cæsar Posonium venire  
 dignaretur: Ergo die septima Julii Ca-  
 rolus Imperator cum Augusta, duabus  
 Archiducissis & Principe Eugenio illuc  
 profectus, ac singulari veneratione ex-  
 ceptus est, cunctaque in comitiis de-  
 creta libere & unanimi suffragio admis-  
 sa, adimpletaque sunt. Ad exemplum  
 Hungarorum Bohemiæ Brabantiæ. Flan-  
 driæ, Silesiæ & etiam Proceres Pragæ  
 lege Pragmatica sexus fæminini succes-  
 sionem in defectum virillis confirmarunt,  
 & die quinta Mensis Septembris Ca-  
 rolum ejusdem Regni hæreditarium  
 Regem magnificentissime coronarunt.  
 Postea anno sequenti die duodecima  
 Junii Cæsar per *Protectionale* ut vocant,  
 mandatum Hungaris Protestantibus po-  
 stulata concessit, Catholici tamen Pro-  
 ceres constanter reclamabant, palam  
 declarantes, se omnia, quæ Viennæ  
 in Religionis Catholicæ decrementum  
 sunt statuenda, pro irritis habituros.

§. LI.

*Fulvii Astalli Cardinalis obitus.*

Q 2

Hoc